

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7271

Auteur(s) : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : faux

Datation : 1157

Lieu d'émission : Domfront

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation des biens de l'abbaye de Savigni. — Texte interpolé et falsifié de la pièce précédente (DELISLE/BERGER, n° DXCI).

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° DXCII, t. 2, p. 182-187.

Indications

Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Introduction, Paris, Imprimerie nationale, 1909, p. 326.

Dissertation critique

Cette date est indiquée dans le passage interpolé.

Les passages entre « » sont ceux qui ne se trouvent pas dans le cartulaire de Savigny et qui ont été ajoutés par l'interpolateur. Voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 2, p. 182.

Texte établi d'après a

Henricus, Dei gratia rex Anglie, dux Normannie et Aquitanie, et comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciis, « baillivis », vicecomitibus et omnibus ministris et fidelibus suis, salutem.

Sciatis me concessisse et presenti carta mea confirmasse ecclesie Sancte Trinitatis de Savigniaco et monachis ibidem Deo servientibus omnes subscriptas donationes que eis facte sunt, scilicet : « Ex dono Radulfi Feugeriarum domini, forestam Savigniaci sicut cingitur tribus aquis, Chamba, Chamberna et Nigra Aqua, scilicet : »

Ex dono Willelmi de Duceyo presentationem ecclesie Sancti Martini de Gasto, et « presentationem » ecclesie de Campo Cervor., et medietariam de Teissues cum pertinentiis suis. Ex dono Willelmi filii Rogeri de Villa Canis et duorum fratrum suorum Ricardi et Hugonis, jus patronatus ecclesie de Villa Canis. Ex dono Rogerii Bacon, jus patronatus ecclesie de Plana Silva. Ex dono Ricardi, Baiocensis episcopi, et concessione Willelmi Patric, ecclesiam de Landissac cum decimis ejusdem ville et aliis pertinentiis suis. Ex dono Rohaldi, filii Roberti Rohaldi, et

concessione Berengerii patris domini sui, concedente etiam Eramburge matre sua, et patruo ejus Herberto Rohaldo et filiis suis, presentationem ecclesie Sancti Petri de Intra Montes, et totam terram de Landisiaco cum omnibus pertinentiis suis, et medietariam de Bulleyo et masuram Johanne de Aties in Condeyo, et in Bucelley pratum de Gaiena et dominium Marie, et dominium Milesent. Ex dono Rannulfi de Vireyo et fratrum suorum, et concessione Radulfi de Feugeriis, totum dominium suum in maretis Medreii, et terram et pratum Marigneii, et ecclesiam de Madreyo ex integro, et presentationem capellanorum, et decimas parrochie, excepta tertia garba quam habent sanctimoniales de Redonis. Ex dono Petri Chaucon et filiorum suorum, domum unam apud Abrincas. Ex dono Roberti de Briceyo, filii Roberti filii Willelmi, totam terram suam de Briceyo, excepta mansura filiorum Galteri. Ex donatione Durandi de Croleyo, et concessione Henrici de Feugeriis, totam terram que est inter vineam de Campo Botri et vetus stannum de Verduno, et inter Grollium et viam de Ponte Aubaudi et viam de Abrincis. Ex dono Hugonis filii Anquetilli, totam terram suam de Verdun. Ex dono Rainaldi camerarii de Abrincis, et concessione Durandi de Crolleio, terram quamdam et pratum juxta eandem terram. Ex dono Rogerii Ruffi et Vitalis cognati ejus, et concessione Gilberti presbiteri, domini eorum, virgultum et terram juxta virgultum. Ex dono Estormi de Verdun duas acras terre. Ex dono Bertranni de Verdun terram quamdam juxta grangiam de Campo Botri. Ex dono Galteri Alori et Willelmi Gojun, et concessione Rannulfi Grimaut, VII. acras terre juxta Abrincas. Ex dono Radulfii de Feugeriis totum dominium suum de maretis Medreii et totum dominium suum de Verdun, « et dimidium molendinum de Romagneyo, et quasdam terras adjacentes, et capellam Sancti Johannis de Fulgeriis. »

Ex dono Henrici de Feugeriis, et concessione heredum Alelmi Calvi, in Romagneio totam terram que fuit Alelmi Calvi, et terram Joslini molendinarii cum pertinentiis suis. Ex dono Roberti filii Geroldi, et concessione Henrici de Feugeriis, in Molines tertiam partem molendini de Ossibus cum pertinentiis suis. Ex dono Juhelli de Sav[igneio] et Willelmi Bastardi, et concessione Henrici de Feugeriis, totum rivagium aque Cambe contra terram de Habitu Alberti cum pertinentiis suis. Ex dono Ricardi de Serland et filiorum ejus, octo acras terre et quoddam pratum in hamello juxta vadum Ollandi in Alereio. Ex dono Malenfant, in Marigneio masuram Queron, id est octo acras terre. Ex dono Martini Pichardi, et concessione Petri de Sancto Hilario, in Margotin, terram inter viam Sancti Jacobi et Coglarum et Muntineium. Ex dono Garini Tirel, et concessione Guillelmi Avenel, XXX. acras terre in Pasbran. Ex dono Vitalis Vacce, vineam quamdam cum modica terra ei adjacente. Ex dono Petri de Sancto Hylario, vinum ad missas, singula scilicet sextaria singulis septimanis reddenda in villa Sancti Hylarii, et tria quart[eria] frumenti ad hostias de reddito suo apud Sanctum Quintinum, reddenda singulis annis. Ex dono Radulfi Males, dimidium torcular et dimidiam vineam suam, cujus dimidiam partem habent sanctimoniales Moretonii. Ex dono Hugonis de Hume, concedente Ruelone filio ejus, unam acram terre in villa de Hume. Ex dono Roberti de Helceyo et Willelmi filii ejus, terram des Esparchons. Ex dono Reinaldi Canis, et concessione Guillelmi de Sancto Johanne, terram de Crolleio. Ex dono Ruellonis de Milleyo, masuram unam terre in villa de Calido Loco. Ex dono Rogerii de Milleyo, masuram « aliam » in Calido Loco. Ex dono Roberti Gillaud, VII. acras terre et dimidiam juxta forestam Sav[igneii], et terram de Curva Fossa cum pertinentiis suis. « Ex dono Juhelli de Meduana et confirmatione ejusdem, omnia que in carta ipsius Juhelli plenius continentur, cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus suis. »

Ex dono Henrici de Bulleio et Hamelini filii ejus, unum sextarium frumenti in molendino de Septem Forgis. Ex dono Rogerii de Rodolio, concedentibus uxore sua Matilde, et filio suo Alexandro et Johanne de Taun, molendinum de Ver cum pertinentiis suis, excepta molta domus sue de Croili. Ex dono Willelmi de Mandevilla, comitis de Essex, pratum Hamelli de Sancto Georgio et dimidiam acram terre. Ex dono Radulfi de Haya, totam decimam frumenti sui de Longa Villa in censariis et molendino. Ex dono Willelmi de Musca, totam decimam frumenti et avene et totius redditus sui de feodo Maisnilli Droconis, excepta decima molendini de Sancto Leodegario. Ex dono Jordani Tessuin, terram de Veies, et in terra de Villeyo quittanceiam de omnibus illis que ad se pertinent, et omnes pelles arietum qui de foresta Cingelesii ad coquinam ipsius adducuntur. Ex dono Roberti de Calligneio, concessione Willelmi filii sui, decimam molte totius annone que venit ad molendinum de Caligneio, et masuram Gervasii de Cauneria cum omnibus pertinentiis suis, et terram de Fontibus cum omnibus pertinentiis suis. Ex dono Rogerii Bacon, in Plena Silva, Osbernum de Monte Theoldi et tenementum ejus de decem quarteriis frumenti, et Robertum de Piro et tenementum ejus de XI. quarteriis avene, et in tenemento Stephani Ridel V. boissellos frumenti, et quicquid habebat in terra Heberti. Ex dono Alani de Estarvilla, concessione Ricardi, Baiocensis episcopi, decimam proprie carruce. Ex dono Ricardi de Sancto Fromundo et Willelmi filii sui, concedente Engelgerio de Bohun, in parrochia Sancti Clari, masuram unam que vocatur masura Ernaldi. Ex dono Willelmi de Rampen terram de Gascheriis. Ex dono Goiffredi de Vilers, concedente Ricardo de Humetis et Willelmo filio ejus, duos campos terre quorum unus situs est inter terram de Super Gardinum et terram de Macerariis, alter vero est eidem ex una parte contiguus. Ex dono Guillelmi Linebarbe et filiorum ejus, concedente Guillelmo Patric et Alexandro de Bohun,

molendinum de Noer. Ex dono Rohaldi, filii Roberti Rohaldi, et Herberti Rohaldi patrum sui, in Caligneio totum dominium de Brolio, et subtus domum Rainaldi de alio Brolio IIII. acras terre. Ex donatione Willelmi et Rogerii et Radulfi, filiorum Gaufridi de Mercato, tres acras terre ante domum Vitalis de Tor. Ex dono Roberti filii Zacharie de Bruceyo, et Willelmi fratris ejusdem Roberti, quamdam partem terre sue in monte des Escures. Ex dono Simonis comitis Ebroicensis, apud Garavillam domum unam et masuram et salinam. Ex dono Radulfi Luppi et Tuoldi filii ejus, concedentibus filiabus ejusdem Radulfi, Maria et Hillaria, et earum maritis Helya et Bartholomeo, duas acras terre, unam ad Molereiam et alteram ad Fossam, et tres virgatas apud Runcereium, et quinque virgatas ad Vendeyz, et duas masuras, unam apud Thaum et aliam apud Babanvillam, et apud Colombiers terram quam tenent de monachis Helyas et Bartholomeus generi ejusdem Radulfi pro duobus sextariis frumenti annuatim reddendis. Ex dono Rannulfi Verneii et Mabil[i]e uxoris ejus, concedentibus Philippo filio suo et omnibus liberis ejus, duas garbas decime quas clamabant in terra de Thaum in feodo Roberti de Fonteneto, similiter et decimam de XII. acris domini sui. Ex dono Richardi de Alneto, octo acras terre in Briceyo. Ex dono Marie, filie Ruellonis Bastardi, et Ricardi patrum ejus, in parrochia Sav[igneii], totum feodum Willermi Bastardi. Ex dono Ricardi Juhelli, totum feodum suum de Sav[igneio], et donationem quam fecit Alanus frater ejusdem Ricardi. Ex dono Achardi, Abrincensis episcopi, et concessione heredum Saveigneyi, ecclesiam ejusdem ville. Ex dono Eudonis Babilonie et Johannis filii ejus, et Guidonis fratris ejusdem, in Logis, quamdam terram que Rohardet vocatur, cum duabus garbis decime ejusdem terre. Ex dono Ursi de Logis et Roberti filii ejus et Willermi Coisler nepotis eorum, et concessione Achardi episcopi Abrincensis, concedente etiam Asculfo de Sancto Hillario, ecclesiam de Logis cum pertinentiis suis. Ex dono episcoporum Abrincensium Turgisii, Ricardi, Herberti, Achardi, et concessione Ranulfi de Vyreyo et Willelmi et Rogerii fratrum ejus, ad quorum feodum jus patronatus subscriptarum ecclesiarum pertinebat, ecclesiam de Wireyo ex integro et decimam totius parrochie, exceptis duabus garbis de masura Lanie, et ecclesiam Sancti Martini de Breceyo ex integro, ecclesiam etiam de Molinis ex integro cum pertinentiis suis. Ex dono episcoporum Abrincensium Turgisii, Achardi, et concessione Roberti de Apenticio et filiorum suorum, ecclesiam de Apenticio cum pertinentiis suis. Ex dono Pagani de Sancto Bricio et Gervasie uxoris ejus et filiorum suorum, juxta forestam Sav[ignei], totam terram que Meliun dicitur, et masuram que vocatur Aurineria et campum qui dicitur Kernunusle, et masuram Aucherii, et duas acras terre juxta cimiterium Vireii. Ex dono Gaufridi filii Emundi et filiorum ejus Alani, Juhelli, Sequardi, in terra gasta, dimidiam partem terre de Calumpniis. Ex dono Pagani de Ceresel et Willelmi filii ejus et Radulfi Roheis et Wiburgis ejus uxoris, alteram medietatem ejusdem terre de Calumpniis, quas donationes concesserunt Oliverus de Ardene et Radulfus Brito, ad quorum feodum terra ipsa pertinebat. « Omnes has terras omnesque elemosinas que hic enumerate sunt et omnes alias quas possident et quas, Deo propitio, tam ex dono quam ex emptione poterunt acquirere, concessi, ut dictum est, ecclesie et monachis Savigneyi, libere et quiete, cum omni justicia alta et bassa, et jure [et] dominio, ab omni servicio et consuetudine absolutas, et ipsam abbatiam et omnes possessiones ad eam pertinentes et omnes homines eorum, ubicunque sint et de cujuscunque dono sint, in tota terra, assumpsi in manu et custodia ac protectione mea, sicut dominicas et proprias elemosinas meas. Et ideo volo et precipio ac firmiter constituo ut eadem abbatia et monachi et fratres et famuli eorum et homines et omnes res ad ipsos pertinentes per totam terram meam adquisitam et adquirendam a me et successoribus meis habeant firmam pacem et perfectam libertatem et omnem quitantiam in mari et in terra, in bosco et in plano, ab omni consuetudine et servitio et exactione, sicut elemosine Deo dicite, pro remissione peccatorum nostrorum et redemptione animarum nostrarum. »

Quare volo et firmiter precipio quod abbatia predicta de Sav[igneio] et monachi in ea Deo servientes « hec ista et omnia alia que nunc possident, tam ex dono quam ex emptione, a quibuscunque, eaque que in futurum rationabilibus modis Deo propicio poterunt acquirere, habeant et in perpetuam elemosinam teneant, cum omni justicia alta et bassa et omni jure et dominio, cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus et quitantiis suis, ita quod omnia predictis monachis et eorum hominibus pertinentia erunt soluta et quietata de omni theloneo, passagio et pontagio, panagio, cohuagio, stalagio, servicio, hommagio, hostico, taillia et omni auxilio, tam assueto quam non assueto, et omnimodo questu et querela, et omni alia consuetudine et seculari exactione, per totas terras meas, in ecclesiis et decimis et terris et hominibus, in bosco et in plano,»

in pratis et pascuis, in aquis et molendinis, in vivariis et stagnis, « garennis,» piscariis et mariscis, in viis, « cheminis,» semitis, et in omnibus aliis locis et aliis rebus, cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus suis, « in villis et castris, ita bene et in pace, libere et quiete et honorifice sicut propria dominica mea et sicut elemosina Deo dedicata pro remissione peccatorum meorum et omnium antecessorum et successorum meorum, nichil nobis vel successoribus nostris in omnibus preter divinam retributionem retinentes, et quod ad nostram et successorum nostrorum pertinebunt protectionem. Et est sciendum quod ego concessi ex dono meo proprio predictis monachis de Savigneyo quod possint tradere suas terras ad qualescunque consuetudines voluerint. Et poterunt suos homines coram se ubicunque voluerint et in quacunque parte terre sue convenire, quocienscunque sibi viderint expedire, non obstantibus patriarum consuetudinibus quibuscunque. Hec autem mea confirmatio atque concessio facta est anno ab incarnatione Domini MCLVII, anno scilicet regni mei Anglie III, ducatus Normandie VIII. »

Testibus « hiis : »

magistro Waltero de Constanciis Oxenefordie archidiacono, Radulfo Herefordensi archidiacono, magistro Joscelino Cicestrensi archidiacono, Willelmo Filio Radulfi senescallo Normannie, Radulfo de Filgeriis, Seherio de Quincie, Bertranno de Verdun, Willelmo de Solariis. Reginaldo de Paveilli, Hugone de Morwich « et multis aliis. » Apud Dampfrontem.